

## Decif. Aurearum Pars II. Lib. I.

**sacramentum** debet conferri: quia character eius est signum distinctiuum in militia spirituali, quæ imminet omnibus. **Quare** debet conferri pueris, quia licet non armentur pro statu illius ætatis, vt tunc pugnent, tamen conuenit pro statu futuro. Item senibus, & mulieribus, quibus cū uicis communis est militia spiritualis. Item muris, qui licet non uerbo, tamen signo possunt confiteri. Item morientibus, quia quamuis subtrahantur eis prælia, tamen pergunt ad præmium militantium, ideo cõmuniter accipiunt militiæ Christianæ signum. Vel competit eis propter obedientiæ meritum, & gratiæ augmentum. Ideo dicit Hugo, q̄ omnino periculosum esset si ab hac uita sine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur aliquis, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Hæc Archid. in cap. 2. de consec. dist. 5. Turrecr. in c. 1. num. 3. ca. dist. Astenf. & Petr. de Palude. & quia competit tam uiris, quã mulieribus spiritualiter pugnare, ideo

**7** confirmatio fit in fronte, & quidem conuenienter, vt in manifesto demonstrat se esse Christianum, sicut & Apostoli post receptum Spiritum sanctum se manifestauerunt, qui prius in cœnaculo iacebant. Tum etiam ideo signatur in fronte christiane, vt neque propter timorem, neque propter erubescenciã nomẽ Christi confiteri prætermitat. Tum etiam vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & uirtutis venire in hominem declaretur, ut in c. nouissimẽ, de consec. dist. 5. qui quidem locus in suscipiente, scilicet frons, est de substantia sacramenti confirmationis, vt dicit Archid. in cap. nouissimẽ. ita si unctio fiat alibi quam in fronte, nullum est sacramentum, & debet frons christiani ligari pãno, donec exsicetur ne frons inuncta cõtrahat aliquas forders. Rursum confirmati non debent lautare caput vsque ad septem dies, propter septẽ dona Spiritus sancti: Ecclesia enim septem diebus celebrat aduentum Spi-

ritus sancti Gulielmus uerò Parisiens. in suo tractatu Sacrametorum, dicit, quod debet confirmatus tenere fasciam, seu ligaturam per triduum, propter christiani vnctionem, & triduanæ dominicæ sepulture significationem. Et in tertia die ad sacerdotem accedere debet, & sacerdos cum sale, & aqua frontem confirmati abluet, & in loco sacro ligaturam comburet, & cineres in terra cimiterij operiet. Debet etiam confirmandus non de necessitate Sacramenti, sed de conuenientia venire ad confirmationem ieiunus, facta prius suorum peccatorum confessio ne, vt dicit rex. in cap. vt ieiuni, de consec. dist. 5. unde manifestè colligitur quod rex. ille loquitur de adultis: quia paruuli ad nullum tenentur ieiunium, nec ad confessionem faciendam. Hoc autem, vt ieiunus accedat, refertur ad reuerentiam, vt suscipiens sacramentum melius sit dispositus ad recipiendum rem sacramenti, & gratiam: quod etiam extendit ad confidentem. Et hoc quidem intelligendum est de omni Sacramento. Vnde de susceptione, & consecratione Eucharistiæ habetur, 7. q. 1. c. nihil, de consec. dist. 2. c. li quido. Idem de baptisimo. c. vt Episcopi, de consec. dist. 5. Idem de ordinibus, cap. quod à patribus, dist. 75. Sic etiam confessio nisi subita magna, & iusta causa, audienda est, & facienda à ieiunio, maximè de mortalibus, vt dicit Magister Petr. de palude. Est autem iusta causa, si homo timeat obliuisci peccatũ, si differat vsq; ad alterum diem, vel se non habiturum tempus oportunum. Ab hoc tamen statuto, vt confirmandus accedat ieiunus excipiuntur infirmi, & de morte periclitantes, d. cap. vt ieiuni. Hodie uerò propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentiã, sustinetur vt hoc sacramentum, quod nõ nisi ab Episcopis dari potest, accipiat, & detur a non ieiunus: quia vnus Episcopus maximè in una magna diocesi, non sufficeret ad eos homines confirmandos, si ei tempus arctaretur. Vnde multi Episcopi de facto hoc non seruant. Vbi tamen hoc cõgrue

scr-